



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 348. An Propter carentiam pecuniæ mutuò datæ vel ratione obligationis non repetendi eam certo tempore liceat aliquid ultra sortem mutuò datam exigere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

*Quest. 349. An liceat aliquid accipere ex mutuo ultra sortem proveniens ex mera benevolentia, gratitudine ac liberalitate mutuatarii?*

**R**esp. Affirmativè: quia talis vi mutui nihil exigit, sed præcisè recipit, quod mutuatarius ex libertate & gratitudine, seu obligatione antidotali præstat; est communis & certa. Illicitum tamen est, & usuram palliatam continet, si mutuans in contractu mutui quid exigit titulo gratitudinis, quia licet tali pactioni adjungatur titulus gratitudinis, non tamen excluditur obligatio justitiæ, & sic contrahitur usura, non secus, ac committitur Simonia, dum petens beneficium ecclesiasticum, non tantum dicit: *ero gratus*; quod licitum est, sed promitto me fore gratum, ac ita præter obligationem gratitudinis inducens sibi obligationem justitiæ, ad exercendam gratitudinem. Unde damnata ab Innoc. XI. est hæc propositio: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur*, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum. Ut etiam committi usuram, si detur mutuum sub hac conditione, ut mutuatarius apud se porius, quam apud alios pretio cateroquin justo emat sibi necessaria, quia per hoc imponitur mutuatario onus pretio æstimabile, dum ei auferitur potestas emendi mercès, ubi vult, docent cum D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 4. Mol. 1. c. d. 309. n. 6. Laym. L. 3. r. 4. c. 14. n. 3. Reiffenst. h. t. n. 93. contra Angel. v. *usura*. 1. §. 5.

*Quest. 350. An usurarium sit absque ulla pactione aliquid ultra sortem intendere solummodo, & separare,*

*vel etiam rogare dandum aut præstandum à mutuatario titulo benevolentie & gratitudinis.*

**R**esp. Affirmativè: si principaliter, vi tamen solius mutui aliquid pretio æstimabile intendatur, & speretur ab aliquo, aliàs non mutuaturo, si tale nihil speratur. Gl. in c. *consuluit. h. t. v. sperantes*, cum communi, tam Theologorum, quam Canonistarum, juxta expressum textum *cit. c.* dum *ibi* ad quæst. an ille in judicio animorum quasi usurarius debeat judicari, qui aliàs non mutuo traditurus, eo proposito pecuniam creditur, ut, licet omni conventionione cessante, plus tamen sorte recipiat; Responder Papa, talem malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt recepta, restituenda in animorum judicio efficaciter esse judicandum, secus tamen est, seu non committitur usura, aliudve peccatum, si dando mutuum sine ulla pactione, secundariò tantum intendatur, & speretur aliquid, idemque dandum sit, etsi sciretur, id, quod speratur, non obrinendum; siquidem cum mutuatarius citra usuram dare aliquid possit, imò ex antidotali obligatione mutuatario obligatus sit, poterit hic etiam saltem secundariò aliquid dandum sperare, & intendere; ita cum Gl. *cit. Barbof. in idem. c. consuluit. n. 6. Nav. man. c. 17. n. 209. Reiffenst. n. 95. & alii. Arg. c. quid proderit. dist. 61. & c. officia. d. 59.* Idem est propter eandem rationem, si mutuans sine ulla pactione & obligatione simpliciter roget mutuatarium, ut intuitu mutui sibi dati hoc vel illud obsequium sibi præster, hoc aut illud gratuito sibi donet, modò minus principaliter & secundariò, ut dictum, intendatur & speretur aliquid. Less. L. 2. c. 20. du. 8. Castrop. d. 4. de *just. commutat. p. 11. n. 2.* quamvis fateantur AA. citati, talem roagationem periculofam esse.

## CAPUT II.

### De usura commissa extra contractum mutui in aliis contractibus.

*Quest. 351. An & qualiter ob dilatam solutionem pretii sine usura aut injustitia res vendi possit, pluris supra justum aliàs pretium, & minoris ob præstitam in continenti solutionem?*

**R**esp. Ad primum negativè: Ut AA. communiter in c. *consuluit. & c. in civitate. h. t.* ed, quòd sola mora solutionis, nisi damnari inde emergat, aut lucrum cesset, aut dubium sit, num res tempore solutionis sit pluris valitura, non est pretio æstimabilis, adeoque, si ob eam solam quid detur aut exigatur supra pretium justum, contractus est injustus & usurarius in foro conscientiarum, non quidem propriè, quia usura propriè & regularitè non committitur, nisi in mutuo propriè tali, sed virtualitè, seu implicite, & interpretativè, quatenus, dum ob solutionem dilatam in effectu, & re ipsa idem est, ac si pretium ab emptore esset solutum, & dein ei mutuatum cum lucro illius quantitatis, in qua pretium conventum valorem verum, seu justum excedebat; in foro tamen etiam externo & contentiosò talis usurarius minus propriè talis conveniri & condemnari nequit tanquam usurarius; ita ferè Pirh. h. t. n. 59. & Reiffenst. n. 97.

R. P. Lewr. *Jur. Can. Lib. V.*

2. Resp. Ad secundum: Pari ratione injustitiam & usuram, etsi minus propriè talem, committit, qui rem minoris emit, quam tunc valeat, ed, quòd præsentè & numeratà pecunià emat, idque ob eandem rationem allatam pro *respons. ad quæst. præced.* cum & is, qui rem valentem 12. v. g. aureis emit, 10. aureis ob anticipatam seu præsentem solutionem, in effectu videtur quasi mutuare pretium, quod numerat venditori, ut id, quod justo pretio deest, lucretur supra pretium, seu valorem justum rei emptæ, quod dicto modo usurarium est, & sic mutuum impropiè tale palliatur venditione. Pirh. n. 64. citans Abb. in c. *ult. h. t. num. 6.* nisi, ut idem citato Canis. *tr. de usur. c. 3. n. 4. in fine.* item Wiestn. n. 51. dubium sit, an res, quæ præsentè pecunià emitur, minore pretio, quia venditor differt traditionem illius, plus vel minus valitura sit tempore traditionis, juxta dicta de venditione majori pretio. Circa quæ notandum, quòd utrumque tam quando ratione dilationis exigitur majus pretium justo, quam dum ratione præsentis solutionis minoris emitur, etsi in foro conscientiarum locum habeat, & damnatur tanquam usura, in foro tamen externo rarò observetur, & vix ut tale damnari queat, ed, quòd in his contractibus deficiat forma mutui, & intentio usuraria sit occulta, nisi

Bb 2

de ea